Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

et custodia et consolatio sanctorum angelorum. Quod etiam manifestis indiciis demonstratum est. Nocte namque quadam solito attentius orando effudit super se animam suam, cum tenuiter soporatus voces audivit tanquam transeuntis multitudinis copiose. Evigilans autem et easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua iacebat egreditur et prosequitur abeuntes. Haud procul aberat locus densis adhuc spinarum vepriumque fruticetis abundans, sed non longe mutatus ab eo. Super hunc aliquamdiu stabant velut alternantes chori hinc inde dispositi, et vir sanctus audiebat et delectabatur. Cuius tamen mysterium visionis non prius agnovit quam translatis post aliquot annos edificiis monasterii, eodem in loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audisset. Mansi autem indignus ego cum eo paucis diebus, et quocumque oculos circumferebam, mirabar quasi celos me videre novos et terram, et antiquorum Egyptiorum monachorum patrum nostrorum antiquas semitas, et in eis nostri temporis hominum recentia vestigia. Erat namque tunc tempus videre Clarevallis aureum seculum, cum viri quondam divites et honorati in seculo, in paupertate Christi gloriantes, ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore et erumpnis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in persecutionibus et contumeliis, et angustiis multis, preparantes Clarevalli eam quam hodie habet sufficientiam et pacem. Neque enim se tantum sibi quam Christo et fratribus inibi Deo servituris vivere estimantes, pro nichilo habebant quicquid sibi deesset, dum relinquerent post se quod illis sufficeret et ad subsidium necessitatis et ad aliquam conscientiam voluntarie pro Christo paupertatis. Primaque facie ab introeuntibus Claramvallem per descensum montis, Deus in domibus eius cognoscebatur, cum in simplicitate et humilitate edificiorum simplicitatem et humilitatem inhabitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominibus, cum nemini ocioso esse liceret, omnibus laborantibus et singulis circa iniuncta occupatis, media die medie noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, preter laborum sonitum, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud seculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi non dicam prava vel ociosa, sed aliquid etiam quod ad rem attineret, ibi loqui vererentur. Locus ipse solitudo inter opaca silvarum et vicinorum hinc inde montium angustias, in qua servi Dei latitabant, speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodammodo representabat, in qua aliquando a pastoribus inventus est, ut cuius imitabantur vitam, habitationi etiam eius ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus, ut dictum est, ordinis ratione caritas ordinata singulis solitariam facie-